



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De thesauri inuenti iure.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

utilitatem: nempe vel pauperibus, vel piis locis erogandas fore, ob spirituali ignoti domini salutem, secundum Thomam d. artic. 5. ad tertium. tunc sane opinor à summo Principe posse libere commutari causam, in quam res istę sint expendendę: modo ea commutatio adhuc fiat in domini ignoti utilitatem, aut iuxta ipsius voluntatem, ratione quide quę pręsumptam: non alias. Quid enim obscuro differt, si dominus alicuius rei sit ignotus, an absens, ita ut ad eum propria res deferri non valeat commode? nihil profecto: cum et si dominus ignotus sit, tamen manifestum est, rem ipsam dominum habere, cui ob incertitudinem restitui nõ potest, at res domini absentis eo casu, quo ei restitui non potest, nec verisimiliter speratur huius restitutionis tempus oportunum, non potest, etiam auctoritate Principis, in aliã causam expendi, quam quę vel sit utilis absentis, vel conformis eius pręsumptę voluntati: sic igitur idem erit in re, quę dominũ habet, quamvis ignotum, & incertũ. quod videtur conveniens menti Thomę & Caietani in dict. responsion. ad 3. ad hunc, ni fallor, modum est intelligenda sententia corũ, qui censent Romanũ Pontificem liberam habere potestatem per compositiones, quas vocant, liberandi debitores ab obligatione restituendi res incertas: id est, quarum domini sunt incerti: quam opinionem defendit Ioan. à Medina de restitu. questio. 3. causa 11.

Non tamen inficior aliam esse rationem habendam circa intellectum authent. omnes peregrini. Nam mortuo rerum domino ¶ ab intestato, cum is non exposuerit propriam voluntatem ad hoc, ut res post eius mortem distribuere, manet penes leges humanas libera disponendi facultas: & sicut humana lex potuit cognatos proximiores ad hereditatem intestati vocare: ita potest vxorem eiusdem, aut principem, aut pauperes, aliamve pietatis causam: quod nemo doctus negabit. liquidẽ hæc successio intestatorũ, iuris civilis libero arbitrio relicta est. & ideo poterit princeps ad bona intestati peregrini post eius mortẽ, vocare fiscũ ipsũ, vel principem. Imo ex causa poterit in his successioibus princeps statnere, quod peregrini testari non valeant, in favorem item peregrinorum, aut alienigenarum, quos lex civilis potest efficere incapaces successiois, quo ad bona quę defunctus in ea provincia adquisierit, & ea Regi deferre: quod apud Gallos ita statutum est: sicuti testantur Gul. Benedic. c. Raynuitus in verb. & vxorem nomine Adelsiam. nu. 1042. de testam. Boer. in consuetud. Bituricens. rubr. de testam. §. vltim. & Rebuff. in proem. ad leges Regias. gloss. 5. num. 82.

Ex prenotatis examinandę sunt, quo ad animę iudicium. Regię constitutiones, quę de reb. inuentis tractauerunt. Hęc bona vulgo appellantur *moftrenca*. Hispano sermone Gręco vero dicitur *adionna*, auctore Strabone lib. 17. vbi de Ægypto agens scribit, hæc bona ad fiscum publicum, & Cęsarıs deferri, cuius meminit & Budæus lib. 3. de Assẽ. Est etenim apud nos Regia l. 1. titu. 12. lib. 6. ordinat. qua cautum est, quod inueniens rem aliquam, quę prius alicuius fuerit, eam tradat iudici, vel illi, cui consuetudine, aut principis privilegio, ius competit recipiendi, & seruandi hæc bona, quę incertum dominum habent: qui tandem rem illam recipiens, quolibet mense, ipso die nundinarum, in loco vbi fuit inuenta, publice dominum requirit per præconem, vsque ad annum & duos menses: vt si hoc tempore dominus rei certus sit, remque ipsam petierit, eidem restituatur, alioqui eam vt propriã obtineat, qui eam cepit, dominumque eius acquirat is, vel Princeps, vel Dux, Marchio, aut Comes, cui ius sit hanc rem acquirendi, propter domini incertitudinem. idem senserat l. 2. titu. 13. l. 4. fori, estque similis sese consuetudo apud Burgũdos, vt refert & explicat Chaffan. rubr. 1. §. 1. & seq. item & apud Aurelianenses titu. de fugi. nis & errantib. vt statuitur, aut potius consuetudine indudum extat, quod dominus rei inuentę, possit rem propriam petere etiam post dicta præconia, & menses supradictos. modo nondum sit sententia iudicis lata, quę ratione legis, vel consuetudinis rem inuentam Principis, Ducis, Comitıs, aut alterius dominio addiderit. Harum ferme consuetudinum meminit Ioannes Faber §. examini Instit. de rerum diuisio. Sic licet iure Cæsareo statutum sit res. & bona corũ, qui Naufragiam patiuntur, à nemine occupari posse, nisi eo animo, vt dominis restituantur, nõ obstant quacunque consuetudine, quę contrarium fieri permittat, aut nauigia. C. de furtu. tamẽ apud Gallos dominus provincię & territorii, ca bona vti *oberrantia*, & dominũ incertũ habentia, occupat,

& sibi acquirit, secundum Gulielm. Benedic. in dict. cap. Raynuitus. in verb. & vxorem nomine Adelsiam. num. 953. de istem. verum quod ad hanc consuetudinem attinet, ego ingenere fatior me profus iuxta æquiritatẽ & iustitiã recitandam, nõ percipere qua ratione possit ea consuetudo defendi. Nam iniquam esse non dubito, nec video qua ex causa dubitari possit. Quid enim obscuro naufragus miser fecit, vt dignus sit amissione rerum, quę ad ipsum lege naturę pertinent, quid item Principem Christianissimum mouere potest, vt eam à iudiciis seruari permiserit, vnde Petrus Rebuffus in proemio ad leges Regias. gloss. 5. numer. 74. scribit, non esse in conscientia foro tutos dominos hæc bona occupantes, plusquam timendum esse Deum, vt vere à Catholicis plusquam mendus est ad præceptorum diuinorum obseruationem, quam humani legislatoris rigorem, & quidem iniquum.

De legibus vero huius regni solet etiam dubitari, an hæc tutum reddant in conscientia iudicio eum, cui hæc bona fuerint addicta, ita quidem, vt vere dominus effectus rei inuentę, nec teneatur priori domino eam reddere, si postmodum petierit: Et quidem lex humana potest à proutis rerum dominia tollere variis ex causis, vel in penas criminis commisi, vel ad ipsius Reipublicę utilitatem, vel ratione legitimę vsucapiois, aut quia res à dominis habetur pro derelictis, & ex ea causa potest lex earum dominũ libere alteri dare. Sed in hisce rebus inuentis nulla harum rationum constitui potest ad priuationem domini: igitur non satis æque legib. definitum est, quod hæc bona alicui adjudicentur domino inuito, nec expendantur in eius utilitatem, aut in eam causam, quę eius præsumpto consensui conueniat: sicuti modo ex Diuo Thoma extitit adnotatũ, consequens patet: antecedens vero probatũ, quia crimine hic nullum contingit, nec à domino rerũ commissum est. Reipublicę item utilitas non pertinet magis ad has res inuentas: quam ad eas, quę certum dominũ habent. Nec sufficit utilitas Reipublicę ad priuationem priuati domini: nisi & eius æstimatio priuata reddatur, l. venditor. §. si emat. §. commu. prædior. de quo & nos egimus lib. 3. variis. Rebuff. c. 14. vsucapiois autem ius dubio procul æquissimum est, nec dominia rerum incerta sint. l. ff. de vsucap. tamen exigit ex restitutiue iustitiã, quod vsucapiens bonam fidem habeat, & existimet rem ad eum pertinere: hæc autem existimatio in hac specie omnino deficit: vnde sufficiens non est vsucapiois causa. Postremo autem quod de derelictis diximus, facillimẽ refellitur, cum nihil hic minus congruat, etenim dominus rei inuentę si possit eam repetere, & habere, maximo cum gaudio eam sibi potius vindicaret, quam pro derelicta relinquere. atque ita præsumendum est, nisi res sit adeo modici valoris, vt derelictę rei præsumptio vsucapio possit. Sic denique video iustius esse, quod hæc res inuentę, quę certum dominum prius habuerunt, modo vero incertum habent, in utilitatem domini, aut in eam causam, quę eius sit verisimilis consensui, expendantur, quam quod alicuius dominio adjudicentur, domino priori inuito: sicuti Diuus Thomas sensit in art. dict. §. ad 3. Quod si velimus adhuc ex restitutiue iustitię leges Regias defendere, quę restitutiue defendi in summe iudicio possunt, modo priori domino rem inuentam repetenti ius reddatur, fiatque etiam post præconia, & sententiam iudicis rei restitutiue: est illud potissimum obseruandum, ne vlla fraus fiat per iudicem, aut per eum, cui lege vel consuetudine, vel Principis privilegio, harum rerum custodia tradita, aut delegata est. Nam & de iustitia harum legum dubitauit Chaffan. in consuetud. Burgund. §. 1. sub rubri. 1.

§. SECVNDVS.

De iure thesauri inuenti.

SVMARIA.

1. Thesaurus quis proprie, aut vere dicatur.
2. Thesaurus ad quem pertinet, breui quadam distinctione tractatur.
3. Thesaurus in loco religioso vel sacro inuentus, cuius sit: & ibi constituitur duo breuiter euiliu contraria responsio.
4. Regia constitutiue de thesauro defenditur, etiam quo ad animi iudicium.

Spereit nunc de thesauro agere, an & pecunia ex thesauro habita sit necessario restituenda, & cui, & an restituatur inuentis: est etenim thesaurus pecunia ab ignoto

dominus supra hominum memoriam reposita. l. nunquam
 §. de thesauris ff. de acquir. rer. dom. thesaurus, inquit Paulus, est
 quaedam vetus dispositio pecuniarum, cuius non extat memo-
 ria: vt iam dominum non habeat sic etenim sit eius, qui in-
 uenit, quod non alterius sit. Alioqui si quis aliquid, vel lu-
 cri causa, vel metus, vel custodię condiderit sub terra: non
 est thesaurus, cuius etiam furtum sit. hęc IC. ideoque hęc
 pecunia dicitur thesaurus, quasi proposita sit eis a deo, id est,
 in futurum: sicuti deditur Alciat. lib. 4. de verbor. signif. & lib. 7.
 par. 1. atque auctore Iuriconsulto, hęc pecunia quocun-
 que in loco sit, in nullius bonis est, & ideo capientis, & in-
 uenientis efficitur, naturali quadam ratione, quę ea, qui in
 nullius bonis sunt, vt aues, & fere, capientis fiunt. §. fere. in-
 tit. de rer. diuis.

His vero de dictionis cognitione premisissis, circa thesauri
 acquisitionem, sit hęc receptissima, simul & probatissima
 distinctio, vt thesaurus magica inuentus arte, in proprio
 etiam fundo, sit Cesaris & fisci. l. vnic. C. de thesauris. lib. 10. l. ne-
 que. C. de malefic. & Mat. absque arte t vero magica inuentus, in
 proprio agro totus sit inuentoris: in alieno vero, data ta-
 men opera, totus domino fundi competat: fortuito autem
 inuentus, pro parte dimidia domino agri, pro alia dimidia
 inuentori cedat. text. ita communiter intellectus in §. thesau-
 rus. l. de rer. diuis. idque Hadrianus Imperator naturalem
 rationem sequutus statuit, auctore Spartiano in Hadriano
 Castare. quod & Iustinia. refert in d. §. thesaurus. eandę disti-
 ctionem sequuntur glos. Faber, Ang. & Doct. in d. §. thesaurus.
 & inibi iunioribus Claudius Cantiancula, Ferrarius, &
 Equimarius Baro. optimus textus, & ibi Doct. in l. 3. §. si
 in loco ff. de iure fisci. si is qui. §. vlt. ff. de acquir. rer. dom. regia l. 44.
 tit. 23. par. 3. tradunt idem diuus Thomas 2. 2. quæst. 69. artic. 5.
 Floren. 2. part. tit. 1. cap. 15. §. 2. Syluest. in verbis inuenitum. gloss. &
 Cardin. à Turre Cremata in c. si quid inuenit. 1. 4. quæst. 5. & Chaf-
 san. in conser. Burgund. rubr. 1. §. 1. num. 7. & seq. à quibus varia
 hęc de re questionis traduntur. Potissimum tamen hoc in
 tractatu dubium est, quoniam modo consiliari valeant duo
 iuris ciuilibus responsa: quę de thesauro inuento in loco
 religioso, contraria plane responderint. liquidum in l. 3. §. si in
 loco ff. de iure fisci. Callistratus scribit, thesaurum inuentum in
 loco religioso, pro parte dimidia fisco cedere: at Iustinianus
 in d. §. thesaurus. respondit thesaurum inuentum t in loco
 religioso, fortuito tamen, totum inuentoris esse: idque tri-
 buit Hadriano Casari: licet Spartianus hoc subtraherit. Idę
 quod respondit Callistratus, probatur in lib. feudorum, in c. 1.
 que sunt regalia. ceterum Accurs. in d. §. si in loco. & in §. thesaurus.
 hanc antinomiam dissoluere conatus, intelligit Iustiniani
 decisionem secundum naturalem æquitatē, ex qua ea, quę
 in nullius bonis sunt, capientis efficitur: Callistrati vero
 sententiam secundum rigorem iuris procedere censet, quę
 hoc in casu præualere debeat æquitati. [Etenim quoties na-
 turalis æquitas & ciuilibus pugnant, potior ciuilibus debet esse.
 l. bona fides ff. de positi.] Ego hanc conciliationem minime pro-
 bo, quippe qui non esse verisimile censeam Iustinianum in
 suis illis Institutionibus, quas edidit, vt iuuenes iuris prin-
 cepia acciperent, falsam vel iure ciuili iam derogatam sen-
 tentiam tradidisse: quam obrem Accurs. in d. §. si in loco.
 intellexit textum ibi, quando thesaurus fuit inuentus, data
 opera, §. thesaurus vero. vbi inuentio thesauri fortuito conti-
 gerit. Et profecto ita verum est, quod Iustiniani locus de
 thesauro fortuito inuento tractat: sed quod Callistrati res-
 ponditio sit intelligenda de thesauro data opera inuento, fal-
 sum est, præterquam quod hęc interpretatio maximam di-
 minutionem habeat. Etenim in d. §. si in loco. equalis decisio
 ponitur in thesauro inuento in loco sacro, religioso, in præ-
 dio publico, in prædio Cesaris patrimoniali, vel fisci: & ideo
 in omnibus his eadem esse debet determinatio. Et tamen
 constat thesaurum inuentum in prædio Cesaris patrimo-
 niali, vt fisci, data opera: non pro parte dimidia tantum, sed
 in totum Cesaris, vel fisci esse. quod & ex ipso Iustiniano
 apparet, qui semper de thesauro tractat diuidendo, cum is
 inuentus sit fortuito: quasi vbi sit inuentus data opera, is
 omnino, & in totum pertinet ad fundi dominum. vnde
 certissimum hinc esse censeo, non posse Iuriconsulti res-
 ponditio in d. §. si in loco. intelligi de thesauro inuento data
 opera: sed necessario procedere in thesauro fortuito inue-
 to, quod palam est.

Tertia igitur ratio ad dissolutionem huius antinomię ita
 constituitur, vt Iustiniani sententia obineat in thesauro

inuento in loco sacro, aut religioso, proprio tamen ipsius
 inuentoris. licet etenim cuique locum religiosum propria
 autoritate facere inferendo mortui corpus. §. religiosum.
 Instit. de rer. diuis. l. cum in diuersis ff. de relig. & sumpt. funer. sacrum
 autem priuata autoritate fieri nõ potest, sed necessaria est
 autoritas publica. §. sacra. Instit. de rer. diuis. eademque autho-
 ritate publica licebit priuato illum locum obtinere. Sic de-
 nique ob id, quod locus ille sacer vel religiosus paulo ante
 priuatus fuerat ipsius inuentoris, ab ipsoque possidetur, the-
 saurus inibi inuentus in totum ei cedit. text. tamen in d. §. si
 in loco. procedit in loco sacro aut religioso, qui inuentoris
 non est, nec antea fuerat, nec ab eo detinetur, atq; ita Clau-
 dius Cantiancula in d. §. thesaurus, hanc difficultatem expli-
 cat. [Et post eam Robert. Aurelianensis, lib. 1. receptarum. c. 5.
 eandem obseruationem probat] cui quidem accedendum
 non est, quia eius interpretatio diuinationē item habet. Et
 præterea, quia loca sacra in nullius bonis sunt, §. nullius. Insti-
 tut. de rer. diuis. religiosa autem secundum veterem iuris ciuilibus
 significationem, quo ad ius sepulchri: non quo ad alia, in
 priuatorum dominio esse videntur. sicuti in d. §. nullius. proba-
 tur, vnde parum sufficiens hac ratio est, vt thesaurus in
 loco sacro, vel religioso inuentus ab eo qui locum religio-
 sum fecit, vel sacrum fieri consensit, in totum adquiratur:
 deinde apparet, non aliter Iustinianum locum sacrum, vel
 religiosum accepisse, quam Callistratus accepit. quo fit,
 vt satis nodosa sit hęc iuris ciuilibus antinomia. Fortassis illud
 potius, ac congruentius est, quod Iustinianus Cesar à respõ-
 sio Callistrati Iuriconsulti discesserit autoritate legis ab
 Hadriano late: atque ideo sententiã Iuriconsulti d. §. si in loco.
 sublata esse, & correctam à Iustiniano in d. §. thesaurus. se-
 cundum quem thesaurus inuentus in loco sacro vel religio-
 sio ipsi inuentori quaritur: nec eius aliqua pars fisco, aut
 Reipublice deberetur. quasi hęc loca in nullius bonis sint, &
 iure publico censentur: quam interpretationem sensit ver-
 ram esse Angel. Aret in d. §. thesaurus. & probat inibi Equina-
 rius Baro. [Nam & Iacobus Cuiacius diligenter lib. 10. ob-
 seruationum. c. 37. quod quidem opus, post huius tertiam edi-
 tionem publicam fecit, obseruat, in thesaurorum questio-
 nibus indifferentes fuisse Imperatorum sententias: idque
 probat ex Zonara, Lampridio, Cedrono, & alijs.] His acced-
 dit opinio Cyni & Bal. in litem lapilli. ff. de rerum diuis. & Chaf-
 san. in d. §. 1. qui scribunt, thesaurum inuentum in loco pub-
 lico, qui in nullius bonis sit, totum fieri inuentoris, nec
 eius partem aliquam fisco cedere. ergo eadem ratione the-
 saurus inuentus in loco sacro vel religioso, quę quidem
 loca publica sunt, nullusq; in bonis esse censentur, totus
 fieri inuentoris. Non obstat quod de prædio fiscali, publico
 vel Cesaris scriptum est in d. §. thesaurus. & in d. §. si in loco. quia
 id intelligendū non est de locis, quę ipsius Reipublicę, Ce-
 saris, fisci, aut ciuitatis ita propria sunt, vt est fundus Titij,
 nec sunt omnibus communia: in his etenim dimidia pars
 thesauri aut fisco, aut Casari, aut ciuitati iure domini debetur:
 quem sensum probat regia Partinarij l. 44. tit. 24. par. 3. non
 tamen inficior Doct. sentire contra Baldi opinionem, the-
 saurum inuentum in loco publico qui nullus sit, pro dimi-
 dia parte fisco cedere: & id deducere videntur à d. §. si in
 loco. quo decisum extat thesaurum inuentum in loco reli-
 gioso, aut pro parte dimidia pertinere ad fisco, & deinde
 ab eo, quod de thesauro inuento in loco publico idem ibi,
 & in d. §. thesaurus. statutum est. sed nos de loco religioso In-
 stiniani sententiam elegimus: de locis autem publicis res-
 pondimus, id intelligendum esse in locis publicis, quę Rei-
 publicę sunt iure domini specialis, non de locis quę publi-
 ca & communia sunt nullius dominio speciali subdita.
 [Quid si apud Iustinianum in d. §. thesaurus. ita quis legendū
 esse contendat, idem Hadrianus statuit, si quis in sacro
 aut religioso loco fortuito casu inuenit, ac si quis in alie-
 no loco, non data ad hoc opera, sed fortuito inuenit, de-
 midium domino soli concessit, & dimidium inuentori, fa-
 cile intelliget, idem in d. §. thesaurus. probari, quod à Iurif-
 consulto in d. §. vlt. probatū fuerat: quod nuper Guliel. For-
 nerius lib. 2. selector. c. 26. adnotauit. Sed & eius obseruationis
 ratio, nõ facile cuius probabitur, cū à vulgata lectione ne-
 cessario sit discedendū: quam tamē & Theophilus sequi-
 tur, & ipsius orationis ordo probat apertissime: vnde cau-
 tē noua lectiones sunt obseruandę, & cum indicio admittendę:
 nemo ni fallor frequentissime improbandę.]

§. 2. Sed

Sed apud nos, qui loca religiosa & sacra alia significatione accepimus & interpretamur, opinor thesaurum in loco religioso aut sacro inuentum, pro ea parte ad ecclesiam eiusque prelatum pertinere, pro quo ad priuatum, qui dominus illius loci fuisse, omnino ex legibus deferendus esset, si locus ille non religiosus, sed priuati domini foret: sicuti adnotarunt Angel. in d. §. thesauros. Ang. & Syluest. in verb. inuentum. §. 4. contra gl. in c. si qui inuenisti. 14. q. 5. quæ etiam hodie in locis religiosis seruandam esse censet Iustiniani decisionem.

Postremo illud est obseruandum lege regia 7. tit. 12. libro. 6. ordinis. statutum esse, quod thesauri quocumque in loco inuenti fuerint, regi acquirantur, data quinta eorum parte ipsi inuentori. Et licet in vulgatis codicibus quartæ partis fiat mentio, in antiquis tamen exemplaribus manuscriptis, quinta tantum pars inuenti defertur. Sed etsi ea constitutio, ut quidam opinantur, possit iuxta veterem Partitarum legem intelligi, sitque ita intelligenda, ut non de omnibus thesauris quocumque locorum inuentis: sed de ijs tantum, quæ iure aliquo ad regem pertinent, accipienda sit: tamen fere totius orbis consuetudine inductum est, quod thesaurus ad reges, & ad fiscum pertineat: quod præter alios testatur palud. in 4. sentent. distincti. 15. q. 3. art. 5. Florent. 2. par. tit. 1. cap. 15. §. 2. Hanc tamen & consuetudinem damnat Syluest. in verb. inuentum. §. 6. dicens, eam esse contra naturalem æquitatem, quæ dicitur: ea quæ in nullius bonis sunt, primo occupantis fieri. unde assererat, hanc consuetudinem, legesque humanas illi similes in animæ iudicio non obligare. Sed eius sententia falsa est: nam præter alia, profecto si hæc consuetudo in conscientie iudicio non ligat, nec in exteriori ligabit: siquidem eadem ratio, quæ eam iniquam esse probat in foro animæ, dicitur eisdem iniustam esse in foro exteriori. Sed consuetudinem istam probandam esse, iusteque induci posse censet Caiet. in d. q. 66. art. 5. Palud. item & Florenti. eiusdem opinionis esse videntur, dum eam referunt, minime improbant. Ratio autem, qua eam iniquam esse opinatur Syluest. sufficiens non est: etenim ratione naturali ea, quæ in nullius bonis sunt, primo occupantis efficiuntur, ut satis constat, non tamen ex hoc tollitur potestas principi-

bus, quibus administratio Reipubl. commissa est, quin possint ea, quæ in nullius bonis sunt, alicuius priuato domino applicare, postquam applicationem, qui ea occupauerit, non occupat quæ nullius sunt, sed quæ iure humano dominum habent: quod Conrad. tradit in tra. de contrah. par. 1. quest. 8. & 9. ac potissimum 10. qua ratione thesaurus priuatum inueniatur, poterit per leges humanas alicui applicari, vel in solidum, vel quo ad partem: sicque applicatus dari debet his, quibus lex humana iussit, & statuit dandum esse. Præterea contra Syluest. urget ratio satis firma. Nam si ratione naturali thesaurus sit primo occupantis, quia in nullius bonis est, & pro derelicto habetur: eademque ratione censuit Syluest. iniquam esse legem, quæ thesaurum ad fiscum pertinere statuerit in totum: eodem profecto iure deducitur, iniquam esse legem, quæ thesaurum inuentum in fundo alieno, pro parte dimidia statuit ad agri dominum pertinere, non ad inuentorem: cum dominus fundi non habeat ius aliquod ad ipsum thesaurum, nec ad eius partem si quidem is in nullius bonis sit, & ideo primo occupantis fiat, & tamen nemo vnquam damnauit leges, quæ sanxerunt dimidiam thesauri partem dandam esse domino agri: imo eas probauerunt, & ut iustas admiserunt D. Thom. 4. q. 7. 6. art. 5. cæterique Theologi, qui hac de re hætenus tractauerunt. lege vero naturali nulla thesauri pars domino fundi derelictæ dimittat; illa etenim res non pertinetur ad agri dominum, sed eum, qui primo illam occupauerit. Quo fit, ut quemadmodum lex potuit dimidiam thesauri partem domino fundi addicere, ita etiam possit eandem partem vel totum thesaurum fisco, vel regi ad onera Reipubl. sustinenda, soluendum, ac reddendum esse statuere.

Hætenus de vltima relectionis parte. cætera, quæ possent huic contractui conuenire, diximus 3. variar. resolut. lib. 3. dum de contractibus usurarijs tractauimus: & de rebus acquiritis per vsucapionem tradidimus, in regula Possessor malæ fidei, & c. relectionem iam olim à nobis in publicum emissam.

RELECTIONIS FINIS.

